Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

dic preter coniugi nemini manifestare solebat audiebat. Nec fore te crescente gloria sua martiris qui tale lumen extinguere cupiebat esse diminuta in presulis. Nam his qui spacio dierum quanto magis ille miser hoc bonum latere cupiebat, tanto magis virtutum rumor virtutum supradictarum beati martiris dilatata radiabat. Mox autem ut hebrino fuisset per cognitum noluit corrigere quod fecerat malum, sed corde iam ceco cum suis sequacibus incredulitatis obdurat obstaculum. Jubebat enim minando abscondere quod christus dominus ad confortandos incredulos ad gloriam sui martiris super candelabrum ecclesie ad illustrationem fidelium dignatus est demonstrare. Etenim cum mens tyranni hebetata erat unde nudaret, et nullatenus ad humilitatem vel emendationem sui converteretur, sed ultra solitum infastum superbie cervix eius contra omnes duriguisset, tunc in eum fuit impletum salemonis proverbium. Prius quam humilietur cor hominis elevatur, et ante ruinam exaltabitur spiritus. Et ne tanti piaculi factum impunitus evaderet, ipse se tamquam freneticus articulum mortis inquirit. Nam cuidam optimati qui tunc functione fiscali ministraverat, inventa occasione eousque intulit spolium, donec pene auferret omne eius presidium. Insuper etiam minabatur ei et periculum mortis. Cernens autem vir iste periculum sui mortem sibi imminere, ad audacium obfirmat animum, atque matutinum ante lucem ad eius ostium observat egressum. Dies autem agebatur dominica, ideo processurus erat ad matutinarum sollempnia. Cum autem ille pedem foris misisset de limine, ecce iste insperate prosiliens gladio eum percussit in capite. Obvius ictum duplicem decidit in mortem, et ita est ablatum a regno eius iniquum dominium sicut quondam david a filiis israel abstulit obprobrium prostrato allophilo phylisteo. Transacto vero spacio pene annorum trium mortuus est semper lugendus hebinus, qui hanc lucernam nisus fuerat extinguere, et sermo divinus in eodem impletur. Nam quia gladio multos occidit, percussus gladio et ipse periit infelix ac miser qui tantis honoribus sublimatus in tribus mundi partibus dilatata fama industrie sue pollebat inter homines, quoniam noluit suis inimicis divinum mandatum implendo indulgentiam tribuere, eos vero ulciscendo multos regna celorum fecit habere. Quamobrem nimium valde est, ut qui tantos sacerdotes ac proceres ulcionis sue crudelitate interemit, sibi potius penam parasset eternam, et quam tam excelsam quam nullus francorum habere meruit gloriam perdidisset. Sed postquam hebinus infelix vite finem dedit, quod invidia ductus dedecus servo abscondere nitebatur, longe lateque crebruit. Postea hec ergo ut serenitati regis eiusque palatio devotis sancti martiris veraciter fuit per cognitum, quod christus dominus ad titulum sue laudis sic eum clarificasset, signa virtutum cum admiratione rex credidit facta, et cepit vere venerari ut martirem, quem per accusationem tiranni crediderat prius fuisse culpabilem. Tunc prelatum est cum laude ad palatium, quod multis diebus ab emulo latuit absconsum.

Passio duorum Ewaldorum martirum.

Hvo quidam presbiteri de natione anglorum, qui in hybernia multo tempore pro eterna patria exulaverant, venerunt ad provinciam antiquorum saxonum, si forte aliquos ibidem predicando christo acquirere possent. Erant autem unius ambo sicut devotionis, sic etiam vocabuli, nam uterque eorum appellatur hewaldus, ea tamen distinctione, ut pro diversa capillorum specie unus niger hewald, alter albus hewald diceretur. Quorum uterque pietate religionis imbutus, sed niger hewald magis sacrarum litterarum erat scientia institutus. Qui venientes in provinciam intraverunt hospicium cuiusdam villici, petieruntque ab eo ut transmitterentur ad satrapam qui super eum erat, eo quod haberent aliquid legationis et cause utilis quod deberent ad illum perferre. Non autem habent regem idem antiqui saxones, sed satrapas plurimos sue genti prepositos, qui ingruente belli articulo mittunt equaliter sortes, et quemcumque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, huic obtemperant. Peracto autem bello rursus equalis potentie omnes fiunt satrape. Suscepit ergo eos villicus et promittens se mittere eos ad satrapam qui super se erat, ut petebant, aliquot diebus secum retinuit. Qui cum cogniti essent a barbaris quod essent alterius religionis, nam et psalmis semper atque orationibus vacabant et cottidie sacrificium deo victime salutaris offerebant, habebant secum vascula sacra et tabulam altaris vice dedicatam, suspecti sunt habiti, quia si pervenirent ad satrapam et loquerentur cum illo, averterent illum a diis suis et ad novam christiane fidei religionem transferrent, sicque paulatim omnis eorum provincia veterem cogeretur nova mutare cultura. Itaque rapuerunt eos subito et interemerunt, album quidem hewaldum veloci occisione gladii, nigrum autem hewaldum longo suppliciorum cruciatu et horrenda membrorum omnium discerptione, quos interemptos in rheno proiecerunt. Quod cum satrapa ille quem videre volebant audisset, iratus est valde, quia ad se venire volentes peregrini non permitterentur. Et mittens occidit vicanos illos omnes, vicumque autem incendio consumpsit. Passi sunt autem prefati sacerdotes et famuli christi quinto nonarum octobrium die. Nec martirio eorum celestia defuere miracula. Nam cum peremptorum corpora amni ut diximus a paganis essent iniecta, contigit ut hec contra impetum fluvii decurrentes per .xl. ferme milia passuum ad ea usque loca ubi illorum essent socii transferrentur. Sed et radius lucis permaximus atque ad celum usque altus omni nocte supra locum fulgebat ubicumque ea pervenisse contigisset, et hoc etiam paganis qui eos occiderant intuentibus. Sed et unus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis suis cui nomen erat tylmon, viro illustri et ad seculum quoque nobili qui de milite factus fuerat monachus, indicans quia eo loci corpora eorum posset inveniri ubi lucem de celo terris radiasse conspiceret. Quod ita completum est. Inventa namque corpora eorum iuxta honorem martiribus condignum recondita sunt. Et dies passionis vel inventionis eorum congrua illis in